



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

II. Contractus vsuram continet, licet ex forma sic transeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

DE VSVRIS.

PARS XVI.

CAP. I.

Alexander III. Panormitano archiepiscopo.

Super eo quod a nobis tua discretio postulauit, vtrum possit in recipienda pecunia ad vsuram, fieri dispensatio, vt pauperes qui in Sarracenorum captiuitate tenentur, per eandem possint pecuniam liberari: presentibus tibi literis duximus respondendum, quod cum vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam non vidimus admittendam, quia cum scriptura sacra prohibeat vel pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendum est, ne quis in redimenda vita captiui, vsurarum crimine inuoluatur.

CAP. II.

Idem Ianuensi episcopo. Pars capituli; Tua fraternitas.

In ciuitate tua dicis saepe contingere, quod quidam piper seu cyminum, aut alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valent, & promittunt per publicum instrumentum, se illis a quibus merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos. Licet autem contractus huiusmodi ex forma non possit censerī nomine vsurarum, nihilo minus tamen venditores peccatum incurrunt: nisi dubium sit, merces illas plus minusve tempore quo precium debent recipere, valituras: & ideo ciues tui salutis suæ bene consulerent, si a tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

CAP. III. *Idem.*

Quoniam non solum viris ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet aliis periculosum est, vsurarum lucris intendere: auctoritate presentium tibi duximus iniungendum, vt liceat tibi clericos tuos, qui de possessionibus vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem suam deductis expensis receperunt, ad eadem pignora restituenda sine vsurarum exactione, ecclesiastica distictione compellere.